



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

De Terminariis, quatenus admittendi. 16

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

CAP. XV. *Prohibentur omnes Apostatae, Monachi ignoti, ac peregrini spermologi.*

Quamobrem prohibemus omnes Apostatas, Monachos ignotos, item istos ac peregrinos spermologos, quorum neque doctrina neque vita ulli perspecta est: eritque proinde curæ civilibus magistratibus ac præsidibus, ut de his inquirent diligenter; & quos Nos proscipimus, eos illi, cum receptoribus ipsorum, doli mali conscis, excedere Provincia compellant: nisi quid severius culpa horum prævaricatorum in ipsos statuere postulerit. Iam ut inveniatur quispiam (quod absit) qui aliter quam legitime Parochiam occupaverit, hunc abjici statim oportet; quantumvis plebs, quam corruptit, cum retinere contendat.

Ex Conc. Sardi. 1. & 18. Laodi. 13.

CAP. XVI. *De Terminariis, quatenus admittendi.*

Ex Ordine Mendicantium, qui oppidatim soli commorantur, quos Terminarios appellamus, vitam interdum agere Monachismo plurimum dissimilem, cognovimus, proindeque multis esse invisos: hos potius, quam Officio prædicationis statis illis diebus perfuncti essent, elemosynasque collegissent, statim ad Monasteria sua regredi, ibidemque quieti operam dare, atque observare jejunia & orationes juxta Ordinis sui institutum, malumus, quam viam communem, ne dicamus licentiosam, inter civium turmas ducere. Vbi tamen Monasteria ab oppidis aut vicis tam

Ex Chal. Concilia.

longe distita fuerint, ut unius diei itinere repeti non possint, nolimus Terminarios istos hac lege teneri; modo tamen viri graves & annosi, vitæ quoque ex omni parte integræ, ac sanæ doctrinæ, comperti fuerint. ac id etiam visitatione potius quam constitutionibus cavebitur.

CAP. XVII. *Privilegiis Fratrum nihil derogatur.*

Nolumus autem, per prædicta, privilegii, Ordinibus Fratrum Mendicantium rite & legitime concessis, præjudicare.

CAP. XVIII. *Monachorum Ecclesie, per Sæculares (ut vocant) Presbyteros gubernanda.*

Adem ratione decens est, ut Monachi, qui Parochiales Ecclesiis, curâ animarum apud ipsum Monasterium, non personam, relicta, incorporatas (ut vocant) Monasteriis suis habent, non per Religiosos, quos in Monasteriis perpetuam vitam agere convenit, sed per Vicarios, Presbyteros Sæculares, modo haberi possint, ad eundem modum quem supra diximus, examinandos admittendosque, gubernari procurent. Quibus etiam de Ecclesiæ proventus tantum assignare obligati erunt, unde & jura Episcopalia persolvere, & congruam sustentationem habere possint: quod ut fiat, Nobis curæ erit. Non tamen tam duri hinc erimus, quo minus interdum viros Monasticos, quos singulari vitæ exemplo & doctrinæ salutaris disseminazione insignes comperiemus, apud Ecclesias Parochiales relicturi & confirmaturi simus.

Ex de Monachis de Prob. c. 1. de cap. mon.

P A R S Q V I N T A.

CAP. I. *De vita ac moribus Parochorum.*

Quamquam de vita ac moribus Clericorum supra dixerimus, videtur tamen hic locus postulare, ut speciatim aliquid de conversatione ac moribus Parochorum dicamus; quod horum vita & Officium divo Paulo præcipue curæ fuerint; adeo ut, his rectè se habentibus, de reliquis non admodum magnam sollicitudinem habuisse videatur. Nec immerito: res enim ipsa declarat, ac prisca secula meminerunt, quam tranquilla, quam florens, quam fructificans, quam denique felix Ecclesia fuerit, dum talibus esset Parochis insignis, qui, Evangelicis Apostolicisque institutis sanctorumque Patrum Regulis addicti, non tantum vocabulo, sed & facto, præsta-

bant quod dicebantur. Contra vero, in quantos ætus, tempestates, procellas, ac pericula, ob eisdem sensim in diversum mutatos ac varicantes, Ecclesiæ navicula misere coniecta fit, Nos sentimus. Ex quibus rursus emergere quum certo certius non possimus, nisi Nos (quibus gregem suum Christus pascendum commisit) vias Domini rectas, à quibus variando excidimus, inambulare pergamus: quid tandem aliud consilii capiendum nobis, quam ut singuli, quales esse debemus, tales & simus; atque hoc insigne Christi verbum, quod hinc discedens, Petroque oviculas suas committens, post tertiam demum dilectionis stipulationem promissionemque, uti ultimum elogium ac memoriale, fidelissime diligentissimeque inculcavit, & mente & opere teneamus, quod est, Pasce agnos meos? Id fecerimus, si gregem Christi post Christum unice

Joan. ult.